

ERNESTI FRIDER. WERNSDORFI 29
THEOL. D. ET P. P. ALVMNOR. ELECT. EPHORI
COMMENTATIO 1793 6
DE
SIMVLACRO COLVMBAE
IN
LOCIS SACRIS ANTIQVITVS RECEPTO
IPPSIS
PENTECOSTES SOLLEMNIBVS SACRIS
AN. MDCCCLXXIII
P. P



VITEMBERGAE
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS

1773

D E

SIMVLACRO COLVMBAE IN LOCIS
SACRIS ANTIQVITVS RECEPTO

Dum sollemnia, Deo Spiritui Sancto sacra, libello academico CIVIBVS NOSTRIS indicare, atque his quasi quoddam signum ad illa pie reuerenterque celebranda efferre ingredimur: offert se menti nostrae imago illius *Geopav'as*, quae facta est, quum Christus Iordanis aquis tingi uoluisset ¹⁾). Refert enim Historicus sacer in ista S. Triados manifestatione SPIRITVM SANCTVM lucis suae radios caelitus emittentem, *ωρέ τεγιζερας* descendisse, et uisibili COLVMBAE specie omnibus, qui adstabant et spectabant, quorum ingens numerus erat, adparuisse. ²⁾)

A 2

Hanc

1) Quae praeter historiae sacrae fidem forte ex Iustino Martye, portenta narrata facta, quo tempore Christus ex aquis Iordanis ascendisset, SEVERVS ALEXANDRINVS a Guid. Fabricio Bodeliano Syriace et Latine Antwerpiae editus libro de Rit. Baptizini p. 24. ea credi minime debent: nempe solem radios suos inclinasse, stellas Christum flumina sanctificantem adorasse, aquas denique absque lignis et igne calefa-

etas fuisse, vide I. R. FABRICII Cod.
Apoc. N. T. pag. 347.

2) Et si enim sunt docti viri qui il-
lud MATTH. III. 16. *οὐει πετισμένης* ita
interpretentur, ut dicant, non Columbae
habitum a Spiritu Sancto adsumptum in-
dicari, sed tantummodo respici ad col-
umbae uolatum, et Spiritum sanctum
columbae uelociter uolantis more, in
Christi caput molli placidoque strepitu
descen-

Hanc autem corpoream speciem, a Spiritu Sancto adsumtam, antiqua ecclesia mirifice adamauit³⁾, et in Sanctorum et Martyrum Christianorum tumulis, in crucibus, in ambone, in baptisteriis, in altari, aliisque locis sacris uel ornatus uel mysterii gratia Columbam Symbolicam, uario genere artis expressam, frequentissime exhibuit. Nulla fere fuerunt Antiquorum templa, nulla coemeteria, nulla alia sacra loca in quibus non essent columbarum uel imagines pietae aut caelatae, uel signa ex auro argenteoue, aut ex ligno facta: quorum signorum quaedam etiam sacris usibus, tanquam uasa inserviebant.

*estimabat aliud, non est certus, iuris loqui singulis non
nulli Vlmo res in superstitionem versa, in crepundia et lusus pueriles turpiter degenerauit. Cuiusmodi lusum nostro adhuc saepe
culò*

descendisse: plerimi tamen, quos laudat L. C. WOLFIUS in *Civis Philol.* ad eundem hunc Matthaei inter quos praecipui sunt *Hammondus, Matus et Markus*, hanc sententiam constare haud posse docuerunt. Praeterquam enim quod apud LVCAM Spiritus Sanctus disertis verbis dicitur *spiritus patrum eius descendisse*, il'ud intelligi haud potest, si MATTHEAEVS ad columbae uolatum duntaxat, non etiam ad eius corporeum habitum respexit, cui huius altis portius, quam aliis, aut generis alitum uniuersis, nomen adhibuerit.

Quapropter una et consentiens antiquae ecclesiae opinio fuit, corpoream et adspectabilem columbae formam a MATTHAEO significari.

TERTULLIANVS de car. Chr. c. 3.

longius iusto progressus, in Spiritus Sancti personae communionem columbam perinde adscitam vult, arque in Christo est natura humana. Sed AVGVSTINVS de agone *Curibian.* c. XII. ueram adfirmans columbam fuisse, negat eam in Spiritus sancti communione hypostatos adsumtam. Et PASCHASIVS lib. de Spiritu S. c. VII. *Intelligendum est, inquit, in columba species pertransiens, non substantia perseverans.* IVSTINV S. M. in *Dial. cum Tryph. Iud.* ignem fuisse tradit. Sed eiusmodi quid, aut fulgoris speciem fingere, minime necesse est, quoniam columbae formam adsumere non magis indignum Spiritui Sancto sit, quam sub ignis habitu comparere.

3) Sic figuram Spiritus Sancti amari ab ecclesia, TERTULLIANVS allegorice

culo in quibusdam communioneis Romanae ecclesiis a se ipso vi-
sum commemorat IOH. ANDR. SCHMIDIVS 4). Is testis erat,
quum in sollempnibus sacris Pentecostes sacerdos comite alio infe-
rioris ordinis, inter preces et hymnos populi in medio templi post
meridiem exspectaret aduentum Spiritus Sancti: mox COLUMBA
INAVRATA ex templi parte superiore in altare minus demissa, et
manu sacerdotis excepta, inter hymnos ad altare maius deferretur:
quo facto, plures ex alto laqueari sublimis templi emissae colum-
bae, per totum templum uolitabant, stupae deiiciebantur, et aquae
aliquid ob rationes mysticas adsundebatur.

Quoniam igitur COLUMBA SYMBOLICA in locis sacris conspi-
cua res ualde grata est antiquitatis ecclesiasticae amatoribus, qui

A 3 uideant

rice ait libro aduers. Valentin. c. III.
In quem locum de ecclesia, columbae
domo simplici, et figuram Spiritus S.
amante, praeclaro commentatu est ante
hos tres annos IOH. CHRISTIAN
WERNSDORF frater meus Progr.
Helmst. 1770. P. P. qui et antea Progr.
itidem sacris Pentecostalibus proposito
de Columba Syris culta, cognati argu-
menti rem pertractarat.

4) diss. de Columbis in ecclesia Gr.
et Lat. usitatis Helmst. 1711. P. P.
pag. 15. ubi tamen probe obseruat,
non esse hunc ritum in ecclesia Romana
catholicum, sed in quibusdam tantum
locis obtinere. Certe in libris rituali-
bus toti ecclesiae communibus, qualis
GAVANTI Thes. Sacr. rit. est a ME-
RATO eruditus docupleratus, hic pente-

costalis titus non reperitur. Habet ta-
men eundemque excusatum it, quasi
id omne ad plebis potissimum insru-
ctionem et deuotionem agatur EDM.
MARTENE de antiqu. eccl. Rit. T. III.
p. 546. edit. Antwerp. in fol. Caeterum
recte reprehendit illum THOMAS NAO-
GEORGIVS Regni Papist. I. IV. p.
185. festa in lauina ecclesia recepta de-
scribens:

In Pentecoste mites altaeque co-
lumbae
Funiculis leuiter uinctae mittuntur
ab alto;
Lignea postremo coclo dependet eo-
dem
Cernis, ut idolis ludant, doceantque
populum,
Non secus ac puppis tenerae adfue-
nere puellae.

videant eam valere ad monumenta doctorum veteris ecclesiae rite interpretanda: age hac scriptione feriis Pentecostalibus sacra, DE SIMVLACRO COLVMBAE IN LOCIS SACRIS ANTIVITVS RECEPTO breuiter commentemur, et quibus in locis hae imagines propositae, cui usui destinatae fuerint, et quid Veteres ea re indicare uoluerint, ostendamus.

Primum, ut diximus iam, COLVMBARVM SIMVLACRA IN monumentis sepulcralibus, in crucibus, in altari, baptisterio, ambone sacro apud antiquos Christianos locum habuerunt. Nec una eademque omnium horum simulacrorum fuit ratio. Alia enim coloribus picta erant, alia caelando expressa, eaque aut prominentia ex plano, aut solida et integrum corpus habentia, laborata in omni genere materiae, in ligno, in marmore, in metallo auri, argenti, aeris. Etiam thecae, in quibus modo hostiae consecratae, modo Sanctorum reliquiae recondebantur, quod columbarum figurae referrent, ipsae quoque columbae adpellabantur.

Nec COLUMBAE figura toties ab Antiquis exhibita, semper et ubique DEI SPIRITVS SANCTI Symbolum erat, quo eius praesentia et uirtus, aut aliquid eius gratia et ope actum significaretur.

Indica-

5.) Post Romanam elegantia et nitore se commendat editio Parisijs a. 1659. in f. mni. curata, ubi quae prope cimibus paginis occurruunt incisa in eis monumenta figuris columbarum ornata, multum iucunditatis praebent spectantibus. Nec ea desiderantur in minori libro, qui Romani subterra-

neam in compendium redactam exhibens, prodit Arnhemiae latine in 12mo, et a CUR. BAVMANNO Germanice uetus itidem Arnhemii 1668 eadem forma. In quo altero libro pag. 362. eiusmodi figurae aliquoties exhibentur.

Ne is quidem, qui Aringhiūm utiliter excerpit ERN. SAL. CYPRIANVS, has

IN LOCIS SACRIS SIMVLACRO

7

Indicabat nonnunquam *symbolica* *Columba* quasdam piorum Christianorum virtutes, mansuetudinem, caritatem, innocentiam, et maxime simplicitatem, a Christo commendatam similem columbinac.

De his omnibus rebus plane constabit, si ea loca in quibus Veteres *COLVMBAE* figuram ponere soliti fuerunt, sigillatim omnia lustrauerimus.

Ordiemur autem a *COEMETERIIS* in quibus ueterum Christianorum et Martyrum sepulcralia monumenta deprehenduntur. Exhibit celebratissimae illae Catacombe Romanae in topho suburbano longe plurimas columbarum imagines ab ANTONIO BOSIO et PAVLLO ARINGHIO, in operosissimo pariter ac splendidissimo *Romae subterraneae* libro seruatas et illustratas ⁵⁾). Ibi harum rerum curiosi omnibus propemodum paginis inuenire ac spectare poterunt columbarum imagines in Christi portum sepulcris expressas, plerumque una cum oliuae ramunculis, in uictoriae signum adiectis, quod Christi athletae, reportata ex tartareis, quibuscum dimicassent, hostibus, laurea, depositis, inibi mortalis sarcinae exuuiis, suauiter iam in domino quiescerent. Interdum una modo columba uisitetur ⁶⁾, gerens in ore ramum, aut etiam alter-

ruin

has neglexit figuras in libello *de Ecclesia subterranea* Helmst. 1699. in 4. edit. Ceterum de his *Catacombis Romanis* duabus differt. egit A MANDVS GOTTH. FERMELIUS Lipf. 1710, et quem in illis explicandis adhibere oporteat cautionem exposuit PET. ZORNIVS diss. de *Catacombis s. cryptis se-*

pulcrilibus SS. Martyrum c. Bosium, Mabillonum, Ciampinum, aliasque Romanenses disputans.

6) Cuius rei exempla habes longe plurima apud ARINGHVM *Rom. subterr.* T. I. p. 344. 45. in Olympii pueri triennis et Claudianae puellae ostendis epitaphiis.

rum pede premens: interdum disuntur duae columbae, modo ramulos ore gestantes, (modo sine ulla ramulis 7). Maxime autem cernitur columba in puerorum ac virginum tumulis tanquam innocentiae symbolum adposita 8). Si vidua defuicto marito monumentum posuit, fere columbam in castitatis signum addendam curavit. Idem etiam viros in uxorum fecisse monumentis notauiimus.

Sed ut in titulis sepulcralibus, Virginum præcipue ac puerorum, quibus præmatura morte defunctis innocentiae testimonium perhiberi poterat. Columbae imaginem ueteres Christiani libenter

in sculptura da se uiginti mirandulos amissus insculpi

7) Ita binæ columbae in monumen-
to Gaudentise apud ARINGHIVM
T. I. p. 339. in Aurelii Fortunati T.
II. pag. 12, in Critesii pueri octoennis
p. 325.

8) Ut autem columbae in monumen-
tis iuuenium pro innocentiae signo, ita
in virginum monumentis pro signo
castitatis caritatisque accipiuntur. De
monumento quod uida marito posuit, in
quo monumento expressa cernebatur co-
lumbæ imago, scribit ARINGHIVS T. I.
p. 180. hunc in modum. *Columba*
uiduae continentissimæ et integerissimæ
imago est et symbolum dilectionis: in
illo siquidem alte singulare continentia
exemplum apprehenditur, quod ma-
rito fidem seruat inuiolatam, nec ei no-
tum est adulterium.

De continentia columbarum ego ni-
hil adfirmo: de innocentia magis con-
fusat. Exhibit BOSIVS atque ARING-
HIVS c. l. tabulam, in templo S. Pra-

xedis Romano conspicuum, quæ sistic
præter Christi monogrammum corona-
tum, columbam uolantem, olivæque
ramum ferentem, addita hac epigrapha:
DVLCIS ET INNOCENS HIC DORMIT
SEVERIANUS IN SOMNO PACIS.

Ceterum in commemorandis colum-
barum uirtutibus, unde homines exem-
plum petere possint, multis est ARING-
HIVS Rom. Subterr. T. II. pag. 326.
remque multis adlati ueteris ecclesiae
doctorum testimonio confirmat. R. V.
PERTVS. TUTTIENSIS abbas in Cant.
Salom. T. I. edit. Mogunt. 1631. p.
1674. præcipuas columbarum proprie-
ties his recenset uerbis: *Haec cui-
cula primum sine felle est, deinde nial
uium comedit, pulos alienos nutrit,
grana quaque candidiora colligit, hi
petris nisi faciat, gemibum provocans ha-
bet, libenter iuxta fluuentia replet;* ut
uienientem accipitrem ex umbra præ-
cognitum effugiat.

Sane

insculpi voluerunt: ita etiam in *LV CERNIS*, quae coemeterialibus locis suspendebantur, hoc diuini spiritus hieroglyphicum exprimentum, eoque uelut mystico quodam typo etiam ipsas *Lucernas sepulcrales* obsignandas curarunt. Modo autem lucernae hae columbam in aliqua parte superficie expressam et exstantem habebant: qualis illa est, quae in coemeterio Callisti reperta, ab *PAVLO ARINGHIO*⁹⁾ suppeditatur, cuius in posteriore parte conspicitur crux et insidens ei columba. Modo erant in solidam et integrā columbae figuram totae formatae: cuiusmodi lucernana ab *IOH. BAPT. CASALIO* acceptam, itidem exhibet et describit *ARINGHIVS*^{10).}

Ac

Sane reprehendendi non sunt antiqui candidae fidei et illibatorum monum Christiani, quod columbae imaginem, in magno a se pretio habitae in coemeterialibus cubiculis frequenter usurparunt, cuius e symbolico adspectu Christianas virtutes et diuinorum arcuorum mysteria, intuentibus ingeri debebant. Non enim tantum Spiritus sancti, sed etiam universi coetus Christiani symbolum fuit columba: utpote quae Seruatoris opt. max. iussu debet pios vel hortari vel monere, ut innocentiae, integratrici ac simplicitati uitae sedulo ac diligenter studeant, mutuoque inter se amore aliis alium complectatur.

10) *Romae Subterr.* T. II. p. 325. Malta in hanc rem haud inutiliter attulit *HENR. LEON. SCHVRZFLEISCH* diff. de *Lucernis Vet. Christianor. sepulcralibus*, Viteb. 1710. P. P. pag. 72. Ibi p. 44. seqq. cauſas recepti a ueteribus moris ascendendi lampadas ad tumulos Martyrum exponit, et aduersariorum criminiandi cupiditatem confutat, in simulantium, eum aliquid profanæ gentilium superstitionis redolere, negans uerum esse id, quod oīm Vigiliatius obiecisset, eum pertinere ad Martyres illuminandos, quippe quos agnus in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustraret: sed morem istum initio propter nocturnos in coemeteriis et cryptis conuentus impegnante necessitate inuestiūt, post ea laetitia gratia usurpatum fuisse: qui quoniam ab omni religioso Martyrum cultu absenseret, nullam uideri cauſam esse, eorū ueteres Christiani ullius culpæ, aut paganae superstitionis rei faciendi sicut.

9) *Romae Subterr.* T. I. p. 301. ubi huius lucernae figuram in eis incisam exhibet, de qua et *FORTVN. LICEUTVS* de recondit. antiqu. *Lucernis* pag. 87¹. et *MICH. ANG. CAVEVS* de aeneis antiqu. lucernis, *Theſ. Graev.* T. XII. p. 98¹.

B

Ac tales quidem columbas moris fuisse in tumulis ponit Mar-
tyrum Christianorum ex GREGORIO TYRONENSI¹¹⁾ constat,
narrante, hominem eum, qui columbam auream e S. Dionysii, Parisi-
ensis episcopi, sepulcro furtim auferre uoluisset, ea ipsa lancea,
qua elidere illam uoluisset, confossum periisse. In Longobardo-
rum sepulcris antiquis illorum Scriptor PAVLVS WARNE-
FRIED¹²⁾ columbas ex ligno factas pependisse commemorat.

Aureas uero columbas nonnunquam Sanctorum reliquiis con-
ditorium praebuuisse refert IOH. MABILLONIVS.¹³⁾

Habebant olim domus institutae peregrinis excipiendis et pau-
peribus refocillandis plerumque in coemeteriis locum, item ut
nolstro tempore apud nos in Saxonia uidemus: quae quia fere Spi-
ritui Sancto dedicata sunt, in fronte, aut in aditu, aut in alio prin-
cipe domus loco, uel pietam, uel effigiam ostendunt columbae
speciem

11) *De Gloria Martyr.* Lib. I. pag. 802. edit. RVINART. Alius super se-
pulcrum sanctorum calcare non metuens,
dum columbam auream lancea qua-
rit elidere, clavisque pedibus ab ultra-
que parte, quia turritus erat tumulus
i. e. non turrim habens impositam, sed
in modum pyramidis acuminatus, com-
premis testiculis, lancea in latere defixa,
examinis est inuentus.

12) *De rebus Longobard.* I. V. c. 34.
„Si quis aut in bello aut quomodo cum
que extinximus fuisset, consanguinei sui
intra sepultra perticam figebant, in cu-

ius summitate columbam ex ligno fa-
ctam ponebant, quae illuc uerba esset,
ubi eorum dilectus obiisset.“

13) de *Liturgia Gallicana* lib. I.
pag. 92. scribit mentionem fieri de au-
rea Columba ecclesiae beatae Mariae
Loudunensis ab HERMANO MONA-
CHO lib. III. de Mirac. Mariae c. 28.
narrante furtum Anselmi cuiusdam, qui
auream columbam ablalem confringis-
set, multum famosum illam et honorabi-
lem ob S. Mariae lac et capillos in-
itus reconditos. Addit MABILLONIVS
uix alibi aliquo in loco eiusmodi co-
lumbas, que reliquias continerent, in-
ueniri.

IN LOCIS SACRIS SIMVLACRO.

二

speciem eam, quia induit Spiritus S. de caelo descendit, ac Iohanni Baptistae, quem is Christum Iordanis flumine abluisser, conspicendum se praebuit¹⁴⁾.

A coemeteriis ad ipsum templum ut ueniamus: in eius uestibulo pariter atque in abside antiquitus erant positae CRVCES, columbarum imaginibus ornatae. Iis enim crucibus, quae publico in loco tanquam salutis Christianorum signa positae stabant, veteres consuerant imponere superne tres illas imagines, quibus manifestari sancta Trinitas uoluit, aut certe columbam, Spiritus sancti figuram¹⁵⁾.

PAVLINVS ecclesiae Nolanae in Campania episcopus, qui ornamenti et picturas basilicarum uersibus illustrauit, rem hanc satis loquitur, describens crucem in abside basilicae Nolanae musiuo opere factam¹⁶), et item aliam in abside Fundani templi a se ex-

veniri. At ANT. BELLOTTI in *Oberflaß* ad Rit. ecclesiae Laudum seruitu Par. 1662. ed. p. 502. tradit. B. Mariae Virg. fundum lac inde ab antiquissimis temporibus vaseculo aureo, in columba formam confecto, in ecclesia Laudentium adseratum, quorans VIII. Kal. Febr. festiu sollempni honorari et coli.

praeter KIRCHMAYERVM in diff. ad
illam fententiā Laetantii, omnis artus
uitae noſtræ, ne careat misericordiae
munere proposita Viteb. 1693. egit
præclare I. A. SCHMIDIVS libello de
Hoſpitali S. Annae Helmst. 1715. fo-
ras dato.

14) Pertinebant in veteri ecclesia eiusmodi domus ad exedras templi, quibus Theodosius Imp. lege illa: de his basidicis ecclesiis configurant eandem, quam basilica ipsa habebat, immunitatem concessit. De his Hospitalibus

15) Hac de re habet erudita, licet
superstitione haud aliena, qui crucis
Dominicae particulam in apostolico fa-
cario Romae adseruatam describit AN-
GELVS ROCCA T. I. *Thestauri ponti-
ficiar. et sacr. Antiquit. rit. ceremon.*
Romae 1745. ed. p. 155.

16) Epist. XXXII. ad Seuerum pag. 206

structi¹⁷⁾. Memorabilis illa crux Romana, quam IOH. CIAMPI-NVS¹⁸⁾ exhibuit ac descripsit, columbae habet imaginem, sicut etiam elegans illa gemmata crux, quae in musiuo maioris absidis Lateranensis basilicae Romae uidetur. In summo huius crucis apice columba cernitur alis expausis uolans, aqua ex eius ore uberrimâ defluente¹⁹⁾.

Sed cruces Veterum in loco publico positae, non semper unam tantum columbam fastigio uel insidentem, uel expansis alis super-

206. edit. Parif. le Brun.

Pleno coruscat Trinitas mysterio.

*Stat. Christus agnus: uxox Patris
coelio tonat:*

*Et per columbam Spiritus Sanctus
fluit.*

*Crucem corona lucido cingit globo.
Ad quae uide omnino Notas cit. edit.*

Opp. Paulini Par. an. 1625. T. II. p. 67.

¹⁷⁾ *Epij ad Seuer. XXXII. p. 210.*
Sub cruce sanguinea nubes stat Christi-

flus in agno

Alite quem placida sanbris perfun-

dit hancem

Spiritus, et rutila genitor de nube

coronat.

¹⁸⁾ In hist. inueftigat. ad Norifum de Cruce Stationali Romae edita an. 1694. pag. 14. tradit haec: *In crucis summitate aeternus Pater, ni fallor mundum creans, expressus est. Nam aquae cernuntur in quarum medio ali- quid solidum, ibidem ad dextram quedam figura ab aquis uelut emergens, ad sinistram alia similitudine figura, uelut in aquam se immergens expressae sunt, inter ambas has figuras Spiritus Sanctus in columbae forma adumbratus est.*

¹⁹⁾ Qui de basilica et Patriarchâ Lateranensi lib. os IV. ad Alex. VII. R. P. Rome 1656. vulgauit CAESAR RAP- SONUS rem de hac cruce pag. 42. his edidissest uestibus: *Crux est elegantissima, quae refertia gemmis uideatur. Superne non abque elegantissimation columba exstat exponitis suis, ex cuius ore manant uberes aquae, et ita flipi- tem crucis irrigant, ut in imagine parte fons redundet, ex quo flumina quatuor effluent uidentur. Significationem horum mysteriorum interpretamur ita, ut in columba Sp. S. exprimitur. Quatuor autem flumina terrefris Paradisi, significant fluentia gratiae, quae a Spiritus S. fonte promanaunt, et mundi quatuor partes suis caelisibus do- nis, ac sanctissimi sacramentis perpetuo irrigant. Eandem interpretationem habet, et ipsis crucis delineatio- nem exhibet IAC. BOSIVS in *Cruce triumphante et gloriosa* l. VI. p. 622. u. I. B. CASALIVM de uet. facr. Christian. rit. pag. 4.*

Vides in hac ecclesiae Lateranensis Romanae cruce, columbam superuolare crucem, in aliis columba ex antiquo ecclie.

superuolantem, ostendebant. Interdum ambebant crucem plures columbae: quarum numerus aliud aliquid indicabat. Denotabantur enim illo mox Iesu Christi Apostoli, mox alii pii et fidèles, ut quibus omnibus columbinam simplicitatem prudentiae serpentinae iunctam Christus commendauit. Atque ita rem interpretatus est PAVLLINVS ecclesiae Nolanae episcopus, iis uestibus, quos depictis in portico templi Nolani crucibus adscripsit.^{20.)} Eiusmodi autem coronatae crux apud illum duas sunt

B 3

ecclesiae ritu, cruci insidet et incubat. Hinc splendidissimi Opp. Paulinus Nol. editor IO. BAPT. LE BRYN T. II. p. 67. coniicit cruci, quam Paulinus describat, columbam insedisse. Primo enim appellari columbam

*Et per columbam Spiritus S. fluit
dein sequi crucem*

Crucem corona lucido cingit globo
Certe in antiqua illa cruce lapidea apud CHIFLETIVM in Vefont. p. 208. columba super crucem. Et in cruce illa, quam IAC. GRETSEVS lib. de Cruce p. 376. et 80. uetusissimam putat, quippe in S. Thomae Ap. ciuitate Malopore inventam, columba figura est in crucis fastigio. Ceterum de Columbis a veteribus Christianis in cruce, in fascis tabalis, in fontibus baptismalibus etc. effigiat, ex antiquitate ecclesiastica et pontificis nemo facile plura attulit IUSTINIANO CHIAPPONI in *Actis Canonisationis S. S. Pii V. Andr. Auelini etc.* Romae 1720. editis. Nam quia in Missa Canonisationis Sanctorum romana, oblatio columbarum fit, adiunxit is operi dissertationem: *de oblationum in Missa Canonisat. S. S.*

mysterii ubi pag. 267. seqq. de Columbarum oblatione agens, in has res expatiatur.

20.) Crucis huius a PAVLLINO Epist. ad Scuer. XXXII. pag. 206. descriptae, coronam cingebant, eamque ipsam quasi coronabant, columbae duodecim, pro duodenario Apostolorum numero: de qua re canit:

*Crucem corona lucido cingit globo
Cui corona fuit corona Apofolii,
Quorum figura est in columbarum
choro.*

Deinde memorat PAVLLINVS NOLANVS eadem Epist. pag. 208. in basitiae Nolanae uestibus, esse dextra laetivaque crucis minio superpietas, hoc Epigrammate

*Ardua floriferae crux cingitur orbe
coronae
Et Domini suo tincta cruroe
rubet.
Quaque super signum resident cas-
telle columbae,
Simplicibus produnt regna patere
Dei.*

Quod

sunt: ²¹⁾ una, quam lucidus columbarum circulus velut iride
ambit, altera, cuius uertici corona imposita ex columbis erat.

Sed et hodie talis crux Romae in curvitate absidis templi
S. Clementis, uerustissimo et elegantissimo opere musivo picta
conspicitur. In ea Christi adfixi imago nuda, quatuor clavi cum
suppedanea tabella. In ipsis crucis quatuor five ramis, seu
cornibus, cernuntur duodecim candidae columbae, quae coetum
signant duodecim Apostolorum.²²⁾

A Columbis crucem ornantibus ad suggestus ecclesiastici seu
AMBONIS SACRI Columbam accedamus. In ambonis enim ci-
borio, seu umbraculo altius educto, columba olim itidem, ut ho-
die quoque, locum obtinuit: quae ibi aut in fastigio superuo-
litaret, aut in fronte corpus erigeret, aut intus in curuatura pen-
dens, aut ex plano prodiens, uelut in oratorem descenderet. Ac
dici

Quod Epigramma docet nos, columba-
rum agmen significare pios Christianos:
id quod etiam ex hoc PAULLINI DOTO,
paullo post subiecto, clarius intelli-
gitur:

Nos quoque perficias placitas tibi
Christe columbas
Si uigeat puris pars tua peccato-
ribus.

²¹⁾ I. L. ad quae uide Obseruatt. edi-
tionis Opp. Paullini le Brun T. II.
pag. 70.

²²⁾ Typum huius crucis ex ipso ex-
emplari feliciter expressum dedit IAC.

BOSIVS Cruc. triumph. et gloriose
I. VI. c. II. quod fecit etiam PHIL.
RONDININI libro de S. Clemente eius-
que basilica in urbe Roma, edito illo
ibidem 1756. Similem exhibet cru-
cem THOM. MAR. MAMACHI Orig. et
Antiquitt. Christian. T. I. pag. 67. in
qua pendente Iesum duodecim cir-
cundant columbae. Idem eodem
in loco disquirit, cur veteres pii Chi-
ristiani co'umbas dicti sint. Aposto-
li autem, eur symbolica columbarum
imagine designati antiquitus fuerint,
eius rei causas exponit ARINGHIVS
Romae Subterr. T. II. p. 390. Nos,
quoque in eam rem nonnulla diximus,
quum

dici uix potest, quantum elegantiae prae se ferat haec Spiritus Sancti figura, auro plurimo inducta, pendens in cauo cibori super ambone, qui ex altari protuberat, in templo nostro academico, restaurato illo quam splendidissime, nisi quod priora uenerandae antiquitatis monumenta amissa desiderantur.

Illi uero ambones, quibus nulla imposita erat ciborii species, a qua tegerentur, columbam in fronte adiectam habuerunt.²³⁾

Nec episcoporum cathedras, de quibus illi nonnumquam ad populum uerba faciebant, columbae imagine caruisse, declarat monumentum illud quod Romae in Marcellini et Petri Martyrum coemeterio a Bosio repertum, ab PAVLLO ARINGHO exhibitetur.²⁴⁾ Nam in eo marmore conspicitur cathedra episcopalis, cuius in parte summa constitut columba diademate redimita, Spiritus Sancti notans opem atque aduentiam.²⁵⁾

Ita

quum ante hos XX. annos Lipsiae Professionem ordinariam Antiquit. ecclesiast. adiremus Progr. de Quinquefima Paschali P. P. p. 17.

23) Qualem Sophianum ambonem descripsit, ac delineandum curauit CAROLVS DU FRESNE Constantinop. Christianae I. III. pag. 69.

24) Romae Subterr. T. II. p. 29. it. pag. 362. Vbi multus in eo est, ut ostendat, ingenti mysterio fieri, ut pontificiae cathedrae insidet columba: quippe quae intuentium, tum oculis, tum animis infinitus Spiritum Sanctum iugis-

ter apostolicae sedi Petri praesse. Nec mirum est, hominem qui Tom. I. pag. 155. bellam CAES. BARONI²⁶⁾ fabulam de D. Petri cathedra Romana, ex ligno facta, egregie ornare potuit, de episcoporum electionibus columbae indicio factis, et de columba Gregorii M. R. P. auribus adidente, multa superstitione narrare.

25) Nam ESAIAS uates c. LXI. Spiritum Domini ait super Messia esse, quem unctum Ioua misseret, ad laeta inopibus nuntianda. Idem est Spiritus Sanctus, a quo nos ad omnis veri scientiam ducendi sumus.

Cete.

Ita etiam in ambone sacro non tam ornatus, quam commo-
nefactionis gratia, locum et olim habuit, et hodie habet colum-
ba. Nam ut doctores ipsi ambonem sancto animo adscendere,
ac Dei uoluntatem recte auditoribus interpretari debent: ita
horum officium est cogitare, nihil doctorem ex spiritu priuato
loqui, sed quae a Spiritu Sancto per Yates et Apostolos tradita,
litteris consignata habeamus.

Ab ambone iam ad ALTARE progredimur, columbam in
eo spectaturi. Quam diu igitur altaria olim nihil a tergo altius
superstructum habebant, sed mensae tantum erant, quales hodie
in Reformatorum ecclesiis cernere licet; in media mensa, praec-
ter signum crucis, figuram columbae auream vel argenteam, in-
tus cauam, antiqui Christiani positam habuerunt. Ex quo au-
tem in altaribus de quatuor columnis surgens umbraculum ere-
ctum est,²⁶⁾ coepit suspensa ex eo columba, altari imminere ei-
que velut supernatare. Docent eam rem veterum ecclesiae Do-
ctorum scripta: ex quibus intelligitur, magis mysterii signifi-
candi, quam ornamenti constituendi caussa, hoc receptum fuisse,
deinde superstitiosum usum, accessisse.

Antiochiae quidem, in urbe Orientis regina, suspensas in
templorum altaribus pependisse tales columbas et aureas et ar-
genteas

Ceterum de Ambonibus uet. eccl-
iae diff. existat CHR. WEIDLINGII
Lipf. 1687. P. P. De illis agit etiam
BERN. FERRARIUS libro de Ritu fa-
cili ecclesiae uet. Concionum p. 356.

et ION. ANDR. SCHMIDIVS dilquish.
de Cathedris doctorum veterum, qui
libellus lenae prodiit.

26) Habes figuram apud ION. VOG-
TIVM de Altaribus p. 145. item apud
eos,

genteas, ACTA Concilii Constantinopolitani an. DXXXVI. habiti loquuntur.²⁷⁾ Nam in iis iest libellus supplicationis ad Iohannem Patriarcham et synodum sub Menna episcopo congregatum: in quo libello clerici et monachi Antiocheni Seuerum episcopum, Acephalorum ex Monophysitis antesignanum, sacrilegii accusant, quod sacris altaribus et uasis haud pepercisset, corri puissetque aureas et argenteas columbas; quae super diuinis lauacris et altaribus *τῶν ἀγίων πνεύματος* adpensae fuissent, *ἵας πρεσβεῖας τὸ ἀγίου πνεύματος*.

Igitur Columbae super altaribus Antiochenis pendeant in alium usum, quam ut pro uasis adhiberentur: nempe in hunc, ut esset *τύπος τῶν ἀγίων πνεύματος*, hoc est, ut Spiritus sancti mystrium significaretur, figura columbina hominibus adparentis.

Et erat hoc maxime conueniens ritibus et institutis Graecorum eucharisticis: utope apud quos in sacrae Coenae liturgia *τέττιλησις* ad Spiritum S. recepta erat, quae fuit illius inuocatio, ut uirtute sua sanctifica dignos Eucharistiae beneficio redderet Christianorum, illa utentium, animos.

Nec Latinorum abhorruit mos, in precibus ad altare eucharisticis inuocantium Spiritum sanctum, ut oblationem sanctificaret.

Quod

eos, qui urbis Romanae templa deferrit, pferunt. Is autem qui *bisilicam S. Mariæ Maioris Liberianam* splendidissimo opere Romae an. 1621. exposuit, PAVLVS DE ANGELIS, exhibet

columbam expansis aliis fastigium ciborii quasi regentem atque obumbrantem pag. 90.

27) Tomo V. Conciliorum ex edit. Nic. Coleti pag. 1130.

C

Quod ipsum antiqua Sacramentaria a LVD. ANT. MVRATORIO edita *) sigillatimque canon Missae Gregorianus abunde com-
monstrant.

Omnino igitur haec Sp. S. figura columbina tributa est altari,
ad Spiritus sancti επίλευσιν denotandam, et ad communicantium
deuotionem excitandam.

Praeterquam autem quod hunc usum, quem diximus, aureae
altarium columbae habuerunt, etiam consecratis hostiis, Eucha-
ristiae reliquiis, adseruandis inseruierunt. Basiliū M. Archiep.
Caesareae Cappad. scribit AMPHILCHIVS ²⁸⁾ morti proximum
sumissę sacram Eucharistiam, Dominico pane diuiso in partes
tres, quarum unam condī voluisset in aurea columba in altari
pendente. AMPHILCHII uerba haec sunt: Καὶ διέλων τὸν ἄρτον
εἰς τέσσερα μερίδας, τὴν μὲν μίαν μετέλαβε φόβῳ πολλῷ καὶ σεβάσμati.
τὴν δὲ ἐφύλαξε συνταφῆναι αὐτῷ. τὴν δὲ ἐτέλεαν ἐνθεισμένην χρυσῆν,
ἐκρέμασseν ἐπάνω τοῦ ἀγίου θυσιαστηρίου. Et paulo post idem, nescio
quis,

*) Liturgia Romana uetus, tria sa-
cramentaria Leonianum, Celsianum
et antiq. Gregorianum complectens,
prodiit Veneti. 1748 ubi vide T. I. p.
120. concedentem Muratorium Grae-
corum iuocationem Spiritus sancti, ut
in sacra dona illapsus faciat corpus et
sanguinem Domini, in Liturgia Moza-
rabica, Gothicā et veterē Galicana re-
peri.

²⁸⁾ In Vita S. Basiliī Opp. ex edit.
Fr. Combefisi pag. 176. et 177. Scio

quidem esse hoc nugiuenduli Graeci
recentioris opus, falso adscriptum illud
Iconiensi episcopo, ut recte CAEVS et
DVPINVS iudicarunt. Sed quocun-
que ille saeculo uixerit, morem tamē
saeculo quarto usitatam facile respexit.

29) Ita leguntur verba in Testamen-
to Perpetui, quod conseruit nobis
LVCAS D'ACHERY in *Spicilegio Scrip-*
tor. T. III. p. 303. edit. nouiss. de la
Barre. In eodem *Spicilegio Dache-*
riano habentur VDALRICI cuiusdam
Con-

quis, Amphilochius, certe non Iconiensis episcopus pergit narratque qua ratione Basilius rem perficerit: Καὶ προσκαλεσάμενος χρυσοχόον, ἐπόποιος τὴν περισερὰν ἐν χρυσου καθηρῷ, καὶ ἐν αὐτῇ περιθέτῳ τὴν μεγίδα, πρεμάτας ἐπὶ τὴν ἀγάλην περιπέξαν, ἀντίτυπον τῆς ἀγίας ἐκείνης περισεράς τῆς Παντούς ἐν Ιορδάνῃ, τοῦ Κυρίου Βαπτιζομένου.

Saeculo p. C. N. quinto quidam episcopus in Gallia ecclesiae Turonensis, Perpetuus nomine, Amalario presbytero *Peristrium et Columbam ad repositorium*, hoc est parvulam pyxiden et paullo maiorem, ad condendas S. Eucharistiae reliquias, *testamento legavit.*²⁹⁾ Et pluribus exemplis adlatis docuit IO. MABILLO-NIVS antiquum suisse morem symbolas eucharisticas in quibusdam columbis aureis et argenteis super altari pendentibus conservare.³⁰⁾ Atque hunc morem etiam nostro adhuc tempore in quibusdam ecclesiis Galliae obtinere MOLEONIVS refert.³¹⁾ Ita symbolorum Eucharistiae consecratorum factum est receptaculum Columba, quod nonnunquam constat crucis in altari posita basin praebuisse.

C 2

Deni-

Confuetudines Cluniacenses, in quibus is refert Vdalricus, apud hos in Missa maiori quinque hostias simul offerri, et eam quatuor simul cum caeteris, quae in aurea columba super altari pendente iugiter seruarentur, mutari. Tomo I. pag. 650.

30) De Liturgia Gallicana l. 1. c. VIII. p. 90.

31) *Voyages liturgiques de France par le Sieur de MOLEON* Parisis 1718. ed. ubi ritus Andeganensis ad Medua-

nom ecclesiae describens, pag. 113. haec habet: Dans l' Eglise Collegiale de S. Julien le saint Ciboire est suspendu en haut endessus de l' Autel sans pavillon: il y a une colombe au dessus, comme encore aujourd' hui à S. Maur des Fosséz proche Paris, à S. Liperoche au Diocèse de Chartres, et à S. Paul de Sens, et autrefois dans l' Eglise de Clugny. On fait combien ces colombes aux suspensions du saint Sacrement sont anciennes tant dans l' Eglise Grecque que Latine.

Denique locum habuerunt atque etiam nunc habent Columbae in BAPTISTERIIS. Ea olim et forma fuerunt alia quam hodie, et magnitudine, satis ampla ad capiendam hominum multitudinem et picturis atque imaginibus exornata³²⁾. Efficiebant spatiolum domum a templo ipso sciuncram, qualis hodie ad Lateranensem basilicam Romanam, Constantinianum³³⁾ visitur baptisterium, eique similia in quibusdam aliis Italiae magnis urbibus maxime in Etruria ducatu deprehenduntur. In baptisteriis columbas aureas argenteasque suspensas fuisse, patet ex litteris illis Clericorum et Monachorum Antiochenorum, quas modo laudauimus,³⁴⁾ quibus crimi dant Seuero, quod illas ὑπερέσχω τὸν θεῖον κολυμβηθεῶν ad pensas, nefario furto abstulisset. Hilarum autem, qui Saec. V. Romanae ecclesiae episcopus praecepsit, Auctor PONTIFICALIS ROMANI quod ANASTASII Bibliothecarii esse volunt, narrat Columbam auream pensantem libras binas, et cerasos argenteos fundentes aquam intra sanctum fontem templi S. Iohannis Romani posuisse.³⁵⁾ Idem PONTIFICALE de Innocentio P. R. habet, eum basilicae S. S. Geruasii et Protasii Romanae columbam deauratam pensantem lib. XXX. intulisse³⁶⁾. In absidis basilicae Nolanae camera, quam baptisterium fuisse credo, PAULLINVS³⁷⁾ episco-

pus

32) IOH. HENR. WEDDERKAMPII libellus singularis de Baptisteriis Veterum Helmst. 1703. in 'g. editus rem planam et evidenter fecit.

33) Volunt in eo baptizatum fuisse Constantinum M. Imp. et multas nugas egit MATTH. FURMANNVS in Hist. Sacra de Baptismo Constant. Romae

1742. edita, qui in pulcro opere socium habet CAES. RASPONVM in Descript. Basilicae Lateranensis. Constantinus M. extirxit et ornauit hoc baptisterium. Pontificale Romanum a loh. Vignolio Romae 1724 editum in Silvestro P. R. p. 88. refert donaria Constantini M. qui fontem fecisset, memorarque ognis aureum fundente aqua ibi constitutum

pus baptismum Christi ad Iordanem pictura exhibuit, quam de-
scribens, ait inter alia: *Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.*
Hinc uenienter probat talē figurā IOH. MABILLONIUS³⁴⁾ nar-
rāns uisum a se in ecclēsia B. Mariae Virg. Badensi baptisteriū,
sub effigie columbae suspensa, exemplo ducto a Christi Domi-
ni baptismo, in quo Spiritus S. sub forma columbae, spectabilem
se praebuisset.

Quod satis intelligitur factum rūrsus esse, non tam ut orna-
tus accederet, quam ut homines imaginem baptismi Christi ante
oculos haberent, nec se ex aqua tantummodo, sed ex spiritu
per columbam significato renasci opōrtere cogitarent.³⁵⁾
Iam cognita ueterum Christianorum consuetudine, libenter
et crebro in templis usurpatum figuram columbinam, quod ea
induta SPIRITVS SANCTVS adparuisset: exemplum eorum inci-
tamento nobis omnibus esse debet, CARISSIMI CIVES, ut piis
mentibus horum dierum sollemnia celebremus, quibus maximi
beneficii, a Spiritu Sancto dati, memoria rediit, publicis et pre-
cibus, et gratiarum actionibus colenda. Beneficium illud tan-
tum est, ut nē modus quidem aestimationis in eo ullus relictus
in iunctio confitimus inib[us] id est al

C 3

tum fuisse. Id baptisterium uetusstate
exsum narrat RASPONVS Descr. Basil.
et Patriarchii Lateran. p. 213. Vibra-
num VIII. restituisse et pulcrius exor-
nasse, fontis tholom auro esse illucum,
in cuius apice spectetur columba Spir-
itus Sancti symbolum cum hac epigra-
phe: Spiritus Domini ferebatur super
aqua.

34) Tomo V. Concilior. Coleti p.
1130.

35) A Ioh. Vignolio editus Romae,
in Hilario pag. 157.

36) In Vita Innocentii R. P. p. 131.
edit. Vignol.

37) Epist. ad Seu. p. 106.

38) In *Itinere Germanico*, Analektor.
Veter. Parisiis. 1723. impress. pag. 4.

22 DE COLUMBAE IN LOCIS SACRIS COLUMBAE

esse videatur. Non enim inquit IANVS NIC. ERYTHRAEVS ³⁹⁾) non iam amplius beneficia, a diuina caritate prodeuntia, sed diuinam ipsam caritatem accipimus; non delassa e caelo munera colligimus, sed eundem ipsum datorem munierum adipisci mus: non riuuli quidam amoris funduntur in homines, sed fons eiusdem et origo, diuina ad nos liberitate perducitur: ut quum iam reliqui nihil esset, quod quidem in caelo, tanquam in arca diuinorum thesaurorum, reconderetur, quod non totum Dei amor transfudisset in hominem, omnem plane modum liberalitatis excedens, ipsum se denique habendum, possidendum, fruendumque praebuerit. Huius igitur beneficii cogitatio et diligens meditatio hunc in uestris omnium animis, o CARISSIMA PECTORA fructum edet, non modo ut columbae similes euadatis, uitam sine alterius grauamine peragenti, nec in ullum animal felle confurgenti ⁴⁰⁾), verum etiam ut omnium caritate hominum accensi et flagrantes, omnibus uirtutibus, quarum illa mater est, pectus locupletatum habeatis.

Paulinus Nolanus picturae crucis Dominicae, quam columbae circumdabant, hoc epigrammate ⁴¹⁾ adiecerat uotum


*Nos quoque perficies placitas tibi Christe columbas,
Si uigeat puris pax tua pectoribus.*

Agamus igitur et studeamus ut huius beneficii participes siamus, praecipue liberalitatem in uerbi diuini ministros oblationibus ad altare exerceamus. P. P. in Academia Vitebergenfi, Vigiлиis Pentecostalibus. An. MDCCLXXIII.

39) Orat. V. de Spiritu Sancto LIV. p. 172. Opp. edit. GARNER. T. 2.

40) Sunt uerba Cassiodori in Psal. 41) l. l. p. 108. edit. Parisiensi. cit.

Wittenberg, Diss., 1770-73
X 2283235



B.I.G.

ERNESTI FRIDER. WERNSDORFI

THEOL. D. ET P. P. ALVMNOR. ELECT. EPHORI

1773
COMMENTATIO
DE
SIMVLACRO COLVMBAE

IN


LOCIS SACRIS ANTIQVITVS RECEPTO

I P S I S

PENTECOSTES SOLLEMNIBVS SACRIS

A.N. MDCCCLXXII

P. E.



VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACADEMIAE A TYPIS

1793